prorsus simillima ambo deserta secuti · uictu parui uestitu inculto cibus
despecti ; Ambo regis et reginae uesaniam tolerant ; Ille iordanem caelum
petiturus diuisit · hic ad lauacrum salutare · quo caelum petatur conuertit ;
hic cum domino uersatur in terris · ille cum eo manifestatur in gloria ;

UT CONUERTAT CORDA PATRUM IN FILIOS · ET INCREDIBILES
AD PRUDENTIAM IUSTORUM · PARARE DOMINO PLEBEM PERFECTAM

Corda patrum in filios conuertere est · spiritalem scientiam antiquorum
scientium populis praedicando infundere ; Prudentia uero iustorum est
non de legis operibus iustitiam praesumere · sed ex fide salutem quaerere
ut quamuis in lege positi legis iussa perficiunt · Gratia se tamen dei per
Christum saluandos intellegant ; Iustus enim · ex fide uiuit ; et potius
de iugo legis ait ; Quod neque patres nostri neque nos portare potuimus ·
sed per gratiam domini Iesu credimus saluari quemadmodum et illi ;
Qua prudentia quia adiuuantur increduli et per iohannem imbuti et per he
liam sunt inbuendi · Recte haec sententia quae per angelum de iohanne
dicta est · isdem pene syllabis · de helia per malachiam praedicta · para
re inquit dominus plebem perfectam · Qui enim zachariam pro plebe
supplicantem dixerat exauditum · docet quo ordine plebs eadem sal
uari et perfici debeat ; Ad praedicationem uidelicet iohannis poenitten
do et credendo in Christum

ET DIXIT ZACHARIAS AD ANGELUM ; UNDE HOC SCIAM · EGO
ENIM SENEX ET UXOR MEA PROCESSIT IN DIEBUS SUIS

Ob altitudinem promissorum hesitans · signum quo credere ualeat
inquirit · cui sola angeli uisio ac allocutio pro signo sufficere debu
erat · Unde meritam diffidentiae tacendo poenam luit · cui taci
turnitas eadem et signum fidei quod quaesiuit et infidelitatis esset poena quam meruit

ET RESPONDENS ANGELUS DIXIT EI · EGO SUM GABRIHEL
QUIA STO ANTE DEUM · ET MISSUS SUM LOQUI AD TE ET HAEC
TIBI EUANGELIZARE · ECCE ERIS TACENS ET NON POTERIS
LOQUI USQUE IN DIEM QUO HAEC FIANT · PRO EO QUOD NON

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Paris, BNF, Baluze 270, f. 124-131 + Paris, BNF, lat. 5288, f. 34-41, ParisBNFBaluze270_270_f127v – Bede's commentary on Luke (https://fragmentarium.ms/view/page/F-s74n/437/6536)